VOLUPTATIS CUM VIRTUTE DISCEPTATIO: CAROLO BURGUNDIAE DUCE ... VIENNAE...

Benedictus Chelidonius



Benedictus Chelidonius Nicolao Comiti de Salm Iuniori. S. P. D.



Mnibus idem genus esse mortalibus. Nicolae Comes eximie, si nostra repetātur primordia, sed non eandem quoq; claritudinē manifestū est. Quippe aliis plærisq; ignobilem sub obscuro uitā trāsigentibus, reliqui, pars corporis, pars item animi, pars deniq; utrisq; præstātes uirtutibus, suam sunt adepti gloriā, atq; illā suis nepotibus quoq; ueluti capessendæ uirtutis monumēta post se reliquere. Sed quæ nam per Iouē gloria, uirtutis esse hæredē, neq; etiā possessorē? Aut quis nisi suæipius possessor esse uirtutis recte dici potest? Parens tuus antiquissima retroq; ad Romanos usq; numerata clarus prosapia quidē Sed suapte uirtute, & corporis qua est fortissimus, & animi qua prudētissimus multo se fecit clariorem, effecitq; ut suorꝝ titulorꝝ hæres, possessor atq; propagator iure dici queat, duplicíq; & suorꝝ, & sua fulgeat ipsius ingenuitate, Illius nomē late per Germaniā nostrā est celebre. Manum Italia nouit & Gallia, necnō & Martia sensit Heluetia. Quarum quidē gentiū longo militiæ usu, & arma optime doctus est, & linguam, liberaliū haud expers litterarꝝ uirum sese undecūq; ornatissimum ostēdit. Illum orbis princeps Maxæmilianus, & diligit: & pro eius qua sæpius in hostem fortitudine usus est amat. Ea itaq; stirpe ueniens Nicolae puer optime, sic te te instituito ut tāti generis per aliquā morum turpitudinem, quandoquidē formæ tibi nō deest gratia, degener nō inueniaris. Quod tum assequeris si inertiam prauorūq; societatē fugiēs optimis te studiis teq; dignis sedulum exhibueris. Illis corpusculi tui florem decentiáq; atq; egregiā tuam indolem dedicato, summopereq; cura, ut quod per disciplinati speciem animi, tuis de te polliceri uideris, aliquando prestes, dignusq; parente tuo filius inueniare. Ne aūt uerbis te solummodo, neq; etiam re aliqua ingenuas ad litteras, unde moribus prouenit ingenuitas, inducere uidear, hunc quantulicūq; est momēti, pueris enim, sed magnorꝝ filiis parentū rogati cōdescen-

dentes collusimus, de Virtutis uictoria libellũ Heroico a me carmine factum adscribimus. Quem tu cum nonnullis aliis de nobilitate adulescẽtibus, apud. D. MAriam serenissimam Hungarorũ Reginã designatã. Dñmq; MATtheum S. angeli diac. Cardinalẽ reuerendissimũ, magna cum laude, munereq; non impari utpote aureo, recitasti. Vnde me tantilli laboris immo ocii, cõmuni adulescentiũ utilitate assumpti nequaꝙ̃ pœnitet. Lætorq; uobis ludi sub imagine, Virtutis amorẽ, audaciáq; dicendi, teneris attulisse sub annis, quanquã non nesciã fore qui id in me studium religiose, sed nõ secundũ scientiam uituperẽt, quibus suos ludos, suasq; desipiẽtiæ laruas semper derisui patentes nos quoq; nunc ridẽdo opponimus seria quum ludis pascalibus una cum illis aderimus, si uolent respõdebimus, dum modo inter eos ullus erit seriis locus. Prauitatem Virtuti certantẽ, illi Epicurũ, isti Herculem testem, Carolum diui Cæsaris Nepotem adulescentẽ optimũ, litis iudicem quẽ tu repsentabas induximus. Quod qui culpauerit, Cerbero sit socius, latratorq; bonorum. Illum tu Nicolae puer optime Comesq; præl ustris, illum mordentẽ nõ morde, sed exemplo nostro ride, atq; deuita sensatos imitare & dilige, memẽtoq; studiosorũ consortẽ Virtutis nõ esse expertem. Postremo epistolarẽ hanc admonitionẽ, atq; nostra nũc in te studia sereno suscipe anio, atq; eo fauentior quo mihi cũctisq; litterarũ amatoribus es gratior. Es autẽ omnibus ingenua colẽtibus quam gratissimus.

Vale.

Ad Spectatores prefatio.

QVanquã ueteres sapientes, Spectatores humanissimi, nunquã a discẽdi studio fœriandũ: sed iugi meditatione potius percipiendæ doctrinæ acriter incumbendũ suasere: Sic Iulianus iureconsultus haud ignobilis discere se uelle testatur, si uel alterum habeat in sepulchro pedem. Pithagoras tamen Samius scite & commode in discipulis erudiendis, & bonarũ artium doctrina tradenda: diligentem quandã & accuratissimã temporis atq; ordinis rationem seruasse perhibetur, quã, Diogenes in Xeniade emptoris sui filiis instruendis imitari nunquã destitit, qui eos post reliquas disciplinas, equitare, arcus intendere, fundas rotare, iaculari, atq; in palestra sese exercere docebat, ut haberent, unde fastidiũ quod ex nimia studiorum ꝯtinuatione facile accidere solet, releuarent, atq; inde exercitio recreati alacrius, fortiusq; ad studia asueta ꝯsurgerent, cuius exemplum non solum corporis, sed ingenii uegetandi gratia immitantes, his progimnasmatibus iuuẽtuti nostræ aptis decentissimisq; in conspectũ uestrum serenissimũ prodire fas duximus. Sperantes uestras insignes clæmentias Democrito qui fronte semper læta erat quã seuero Cathonis aspectu magis delectari. Quod si uel pauide nimis aut minus quã par esset agenda efferemus omnia, uestræ dominationes excellẽtissimæ iure atq; facile ignoscent, dum meminerint Theophrastum illum doctissimũ in publico semel orare uolentem, non modo non attonite atq; inornate dixisse, sed penitus quasi lupo (ut aiunt) uiso, obmutuisse, sed iam aures admouete benignas atq; argumentarium placido, ut soliti estis, uultu suscipite.

Argumentum.


Itæ per huius omne tempus anxiæ
Curasq; mille, sortis & mutabilis
Portenta mille iugiter beatitas
Finisq; summus quæritur mortalibus
Ambagibusq; mille mens deluditur
Sibiq; met discors uagatur inscia
Illecta laruis & bonis fallacibus
Cœli datoris immemor, luti sequax,
Aeui dies fugaci mutans tempore,
Tandemq;, ducta, tracta, uix in orbitam
Reponitur uirtutis, & raro quidem,
Quam nos breui sub fabula discordiam
Boni, maliq;, multa agentem pectora
Examinandam regio sub arbitro
Et iudicandam proferemus Carolo
Nepote Magni qui uiget nunc Cæsaris,
Aures benignas admouete paululum
Viri, & fauete quod uenit spectaculo.

Preco.

Ir herren hoch von manchem standt
Auf eer vnd tugend vns bekandt
Kurtzweyl wir euch zu diser zeit
Erpieten vnd vil frolicheit.
Manch weg den menschen hin vnd heer
Jn lebens zeit ia mit gefeer,

A iii

Verlaiten/vnd des himels pan
Verfeelet wurt von manchem man.
Darumb/das wollust seer gefelt
Vnd tugent wurdt zu ruck gestelt
Zwitracht erhebt sich da vnd dort
Venus/Pallas/an keinem ort
Vergleichen sich. Dy tugend straft
Des menschen hertz mit rat vnd kraft
Das wir euch geben zu verstan
In disem spil yetz hebend an.
Her fur fraw Venus/vnd fur dich
Red selber/vnd Latine sprich.

Venus.

Ingredior dea læta, Sales & gaudia uobis
Adfero conuiuæ,cuncti mea signa sequuntor
Sunt Arabum mihi diuitiæ, fumiq; Sabæi
Littoris & rubri gemmæ, nec balsama desunt,
Fucus & in uultu lasciuo risus in ore
Area plœna choris,& amoribus apta iuuentus
Plœna domus ganeis,epulonibus atria plœna
Omnigenæq; dapes,& pocula, quotquot Iacchus
Miscet,adest placidi quantam uolo gratia somni
Strati & mollities,& mille libidinis artes.
Militiæ sunt ista meæ,stips ipsa uoluptas
Quam meus economus stygiis e fontibus haustam
Dispensat uaria pro conditione bibentum,
Ito Satan,dato uasa uiris gustanda,Rediq;
Fœnore cum multo stultas & decipe mentes.

Satan.

Diuitias Erebi,luxum Mercator & omnes
Desidiæ merces propono,corpora uobis
Sint animæ nobis,animas hæc pharmaca quærunt
Quisq; suam capiat Venerem,sit noster & ille,
Nemo te colit hic,& nauci ducitur orcus
O Venus,& redeo sine pharmacopola lucello.

Venus.

Ah mihi tarde nimis, non tardo uerbere digne
Cur non & thecas aperis, & singula tentas
Pectora circuiens?procul i meliorq; redito.

Satan.

Ah mihi sæua nimis,sæuo me dignior Orco
Quid uexor toties abs te muliere molesta?
Hoc ex uase bibat. Paphiæ quem pascat imago
Hauriat & formas tota quas nocte reuoluat
Est & in hoc cornu mentes inflator adimplens
Spiritus,& stultæ uentosa superbia uitæ
Vnde supercilium uobis(gustate)leuabo,
Hocq; sinu gula uenalis profertur , eamq;
Gratis habere licet,nam uendimus omnia gratis
En & in hac pera lœtalis multa soporis
Copia,qua decimam sumpta dormitur ad horam
Miror in hoc circo sperni quæ sæpe fuere
Grata uiris quibus est uertex obrasus,& ordo
Durior,implicitumq; caput tectumq; cucullo.
Sæpe mihi pater est aliquis deceptus eremi

Hinc autem redeo uacuus, Venus o mea parce
Quod uacuus redeo, gemmas quā Pharmaca mallent.

Venus.

Torue Satan ueteres inter nequissime nequam
Est opus hic puero, canos labor iste repellit
Ipse tuas abiens thecas & Pharmaca mande.
Nate meæ uires, Pharetra cui mille sagittæ
Has pete (non artus) hamato cuspide mentes
Vtere nate dolis & uulnere percute cæco
Istuc tende meis est aptus lusibus ille
Huc huc tende puer iaculum matrisq; sagittas.

Cupido.

Arcus & en mucro, nec mucro nec arcus obaudit
Spicula missa cadunt, sint &si fortius acta.

Venus.

Sentio nate meis contraria numina rebus
Aemula præuenit Pallas, docuitq; cauendam
Meme luxuriæ magna cum laude magistram
Pallas alens curis mortalia corda, negansq;
Ocia, durius haud tribulat quos Iuppiter odit.

Pallas.

Audio nitentem leuibus, nec in ordine dictis
Meq; lacessentem, ludenti alludere par est.
Salue diua Venus, scelerumq; licentia salue
Virgo salus hominū, saluat si spurca uoluptas,
Nomina digna deæ, Lenonumq; hospita salue

Proch

Proch indigna pio mundæ ut uertaris in ore
Palladis,& nobis impudentissima certas.

Venus.

Spreta fuit postquam Paridi tritonia Pallas
Victricem latrat Paphiam,simulatq; pudorem,
Cum Iunone mihi semel est dum uicta,sub Ida,
Siccine damnamus luxum,dum posse negatur.

Pallas.

Omnia quæ superat uirtutem prædico Pallas
Illa parit titulos,trabeam , sellasq; curules
Illa urbes populosq; regit moderamine recto
Postq; dies uitæ caste actos,postq; labores
Præmia militiæ nunc duræ,sydera donat.

Venus.

Quod presto est Pallas tollit,spondetq; futurum,
Scilicet extinctis,& nunc uiuentibus aufert
Et spondet pingues elixis cotibus offas
Sic latices inter furiis prohibentibus ardet
Tantalus,& mensas inter tabescit opimas

Pallas.

Algor & esuries,æstiui caumaq; cœli
Sollicitæ noctes,frugiq; modestia uitæ
Ista labore quidem non paruo,tempore paruo
Viuere dumq; licet,celeres nam uiuitur horas
Sint toleranda uiro tanto pro munere forti

b

Venus.

Quid fauces aridas, ieiunaq́ uiscera uento
Curis & uacuis pallens tritonia pascis?
Ipsa sitim tolera, mensas fuge, semper & alge.

Pallas.

Florida quid facies, quid serica palla, dapesue
Regales, mollisq́ thorus, pondusq́ metalli
Totaq́ luxuries, nisi uasto in gurgite bulla
Flante crepans Euro, fuerat quæ turgida multum,
Et toties nostro petulantior obstrepis ori,
Quicquid abit mortale putes, mortalia cœlum
Non capit, Astra tenet fœlix per sæcula uirtus,
Illa suæ nos militiæ præfecit, & armis
Vndiq́ me natam mihi semper prouida mater
Muniit inuictis, Galeam Viden atq́ Sarissam
His ego fido, mea stans tutelaris in arce
Diua, Nefas abigo, Vigiliq́ oculatior Argo
Hos uitiis, nunc hos aditus occludo Virago.

Venus.

Deformes, inopesq́ tibi sint, Pallas, & illis
Vtere militibus, numerus mihi pinguior esto.

Pallas.

Miles Acidaliæ numero caret, allicit omnes
Fœda placet quibus ingluuies & inertia uitæ,
Est fortis noster, non est exercitus ingens

Ingenuis auctusq; uiris. Teq; optime primum
Maxima Burgundis atq; æuo gloria nostro
Iudice te, nostrum nunc utraq; stetue cadatue.

Venus.

Atq; ego Carole mi te iudice tuta decoro
Forsan ero, Faueas o formosissime princeps.

Preco.

Chara mihi Pallas, formaq; armisq; decora
Vinces ne dubita me patrocinante, sed oro
Nostris ut meritis aliquid taciteq; rependas,
Iudicio si forte cades ego dentibus istis
Stabo tibi uindex, pedibus quatiamq; Satanem
Horrendum pecus hoc quo non deformius ullum,
Fuste meo baratri solitos redigetur ad ignes.

Satan.

Siccine me rudas aurite & uilis asellæ?
Sta domine uindex, pedibus quate meq; Satanem,
Iamq; iubam præbe, quatiam tibi poma comasq;.

Iudex.

Tantisper fatuis nunc his sua bella sinamus
Vnguibus impexum dum pectitur occiput illis
Fœdera non ineunt, nisi spument ore cruorem.

Preco.

Iam cuncti taceant, uomui dum uerba recepi
Verbera mandibulas cruor occupat ecce retusas

Nulla salus rixis, igitur mecum ora tenete
Dicat ut & iudex indico silentia cunctis.

Iudex.

Iudicis officio fungenti, multa necesse est
Obseruare, prius nec præcipitabilis illi
Quam bene constiterit (præmisso examine) causa,
Vtraq; pars igitur testes producat, utrinq;
Res uobis agitur, priscis sæpe acta magistris.

Modus.

Dis.

Altus

Téor

Bass⁹

Veritas summo residens olympo
Orbis æternas moderans habenas.
Legibus iustis homines & astra.
Fata regitq;.

Eius exemplo legitur Senatus
Publicis rebus uigilans,& æqui
Cognitor Iudex ſcelerumq; uindex
Iuſtus in omnes.
Soluat aut damnet nihil ille inique
Teſtibus ductis trutinet fideli
Partium cauſas,pariliq; libra,
Iuſq; rependat.
Teſtibus falſis nihil eſt in orbe
Peius,inſons eſt quoties ſubactus
Aere dum diues,miſer ore pugnat
Ante tribunal.

Secundus actus.

Preco.

Venus vnd Pallas mit gefecht
Auf ir furbringen ſuchen recht
Seintmal dy ſach ſo zwitracht ſtat
Vnd yde ſich verſehen hat
Zu Carolo von adel gros
Dem iungling Kaiſerlichs genos
Das eer entlich ein vrteyl fell
Spricht Carolus ein yde ſtell
Jr zeugen:demnach gee ſententz
An gunſt vnd alle complacentz
Nun Venus dich mit fleiß ytz ruer
Vnd erſtlich deinen zeugen fuer
Haiſt Epicurus alzeit vol

Darnach mein Pallas thu so wol
Dein zeugnus stell haist Hercules
Ein man der tugend wol gemes
Fach an Venus das ander teyl
Im spil / ein yower schweyg dy weyl.

Venus.

Quandoquidem nobis unus pro mille putaris
Huc ades, hanc causam foueas Epicure Magister
Ventris es haud expers, hærent mea gaudia uentri
Vrgeor en ut teste probem, q dulce petatur
Proq labore quies, proq anxietate uoluptas.

Epicurus.

Dicere me prohibent quæ ructuo prandia, fauxq
Anginam patitur nimio (Venus optima) pingui
Est opus hic primum (loquar ut) lenimine dulci
Porrige quisquis habes sitibundo uitra palato,
Os aperit, gutturq rigat, stomachoq medetur
In modio sumptum, sensus acuitq lyæum,
Sentio uim Bacchi, mihi littera defuit una
In modico sumptum sensus acuisse lyæum
Sæpe quidem legi, placuit sententia nunquam
Pocula plœna iuuant, testi date pocula plœna
Antea quam tester, calices faciantq disertum.

Satan.

Hoc tibi uas udum patulo mergatur in ore,
Nunc uome quæ sentis, & rumine proiice uerba.

Epicurus.

Nullus in orbe mei Pueri deus esse uidetur
Esto sit, haud curat, temerarius ordoq; rerum
Omnia confundens homines atq; æthera gignit
Solaq; sit sequitur mundo, confusio mater.

Satan.

Dulce merum tua dicta senex mihi grata merentur
Hauri docte senex & bacchanalia uiuens.

Epicurus.

Non igitur Iouis ira mihi baratrumq; timendum
Quando leuis cum corpore mens euanida uitam
Perdet, in antiquas atomos resolubilis olim.
Tu quoq; nata mari salsa mutabere spuma
O Venus, Et Pallas liquida mutabitur aura.
Est adeo nihil in toto durabile mundo
Mundus & ipse suas aliquot post sæcula formas
Transferet in formas alias, soloq; manebit
Fortuitu, non est fatum, sed fingitur esse
Quare delicias concesso quærimus æuo
Cætera multigenos cum præmia nulla labores
Nullaq; luxuriam post uitam pœna sequatur.

Satan.

Melle mihi tua dulcior est doctrina Magister
Hæc Stygios manes, furias & mulcet auernas.

Epicurus.

Ludo, biboq; dies, & longas dormio noctes
Sæpe diem medium saturatus dormio ludis
Et iuuat innumero uitam deducere luxu
Dum uacat, intereunt omnes cum corpore luxus.

Satan.

Rauca tibi tussis lardo est ungenda suillo
Mande pater, mentum donec tibi pingue saginet.

Epicurus.

O mihi proceræ laricis sit guttur ad instar,
Longius ut sapiat sensim demissa uoluptas,
Amplius osq; antro, dens omnis maior eburno
Et uessica cado, cuppaq; capacior aluus
Oceani pisces, & copia tanta ferinæ
Carnis, emit quantam per sabbata, magna Vienna

Satan.

Flabello cinifes abigam (sine) chare magister,
Crapula quasq; trahit, muscas, uespasq; furentes.

Epicurus.

O super & fœno, curru gestante sederem
Pinguia & o biberem, mellitaq; liba uorarem
Et ueherer totam ruris per compita lucem,
Copia larga o si nunquam fastidia ferret
Iam me nemo foret fœlicior, Ebrius ergo

Semper, & ingenti distentus semper omaso
Dote fruar uitæ, mors finiet omnia, nosq;

Iudex.

Deliro proch ore senex quid blatterat iste
Garrulus, & nugis infamibus atria replet.
Altera pars litis testes Tritonia ducat
Virgo suos, habeat finem contentio tandem.

Pallas.

Non est o Iudex ethicen proferre necesse
Socraticam, nudisq; diem consumere uerbis
Rebus ego ostendam sanctæ uirtutis honorem
Alcides mihi testis adest fortissimus Heros
Ille meam factis causam non uoce, probato,
Huc ades o scelerum domitor, uerissime testis.

Hercules.

Hercule me uirtus deuictis inclyta monstris
Enituit uariis, uici quæ uincere durum est
Non luxu sed continuo, duroq; labore:
Astra mihi uirtus peperit, uicitq; gygantes.

Anteus.

Astra tibi uirtus peperit uicitq; gygantes?
En hic Antæus, certamine uince gygantem
Confere latro manus, mecum tibi sitq; duellum.

Hercules.

Hic deiecte iace nostris uastissima moles.
Viribus,& tumido post hac non utere dicto,
Vach,iterum sternende uenis telluris alumne?
Matrem non tangis iterum, quæ tacta ministrat
Robur,ego his angam strictis te fortius ulnis
Inque auras cogam uacuas deponere uitam
Semineces auferte artus,& discite,luxum
Non nisi sublatis fomentis posse moriri.
Vulcano stipulam qui subtrahis abstrahe longe
Nam uitam repetet sociata incautius igni
Atque animus liber uiciis,contagia uitet.

Gerion.

Vnius hic uictor non uiribus use sed astu
Me quoque tergeminum pete,teque superbe petemus,
Et tua quam iactas ponetur gloria tandem.

Hercules.

Gerionem uideo, forsanque uidebimur illi,
Belua dira quidem nobis uincenda, tricorpor,
At uincam.Procumbe uni mihi latro triformis,
En iacet,hinc trahitor,Triplex ita sternitur hostis
Illecebras contra dum sedula bella mouemus
Mundus quas petulans,caro sanguine plœna,Satanque
Mentibus obiciunt nostris, ipsasque fatigant.

Amazon Hyppolita.

Virtus nulla uiris,Alciden fœmina ludat
Quidque armis (pateat)possimus uterque uicissim.

Hercules.

Gloria magna uiro mulier uincatur ut una:
Complexu genus hoc uinci non uulnere mauult.

Amazon.

Vtere congreſſu tali cum pellice caſtæ
Coniugis,haud iſta bellantur Amazones arte

Hercules.

Ne fuge complexus age noſtros fortis Amazon,
Baltheus en ſpolium, fuit hoc ſpoliata uirago.

Amazon.

Scilicet Hyppolitæ tibi Baltheus auget honorem
I ſpolioꝗ meo raptor ſcelerate ſuberbi.

Hercules.

I mulier uincenda uiro, molleſꝗ triumphans.
Cominus haud uinces pugnando ſed eminus illam
Quiſquis fœmineo forte oppugnaris amore
Congreſſu capiere, fuga ſaluabere miles
Et fragilis formæ contemptor uictor abibis,
I mulier non arma uirum ſed quære choreas.


Cacus.

Ter uictor de me quarto lætabere nunquam
Par &ſi barroꝗ perſtes,inſtarꝗ coloſsi.

Hercules.

Cace, mea dextra fumi spirator obibis,
Hic resupine iace, stygiis informe cadauer
Merge Satan umbris, portentũ & tolle prosanum,
Sic o mortales sic iræ pellite fumos
Et tetros animi motus & pectoris ignes,
Sidera munda, uolunt mentes fuligine mundas
Nec cœlum recipit scelerum nidore notatos,
Non & quæ secta ceruice repullulat hydra
Semper, & infrendens reliquarum turba ferarum
Semiferiq; uiri, Busirisq; hospes & hostis
Huc adsunt? Quo Cerbere te nunc oculis? ex hac
Hoste carens igitur discendam uictor harena,
Viuite mortales rerum discrimine multo
Exemploq; meo dum uiuitis este parati
Dæmone cum uario uariam cõmittere luctam,
Non somno æternas uenietis ad ætheris arces,
Cursoriq; datur celeri (de more) brauium,
Displicet esto labor, non displicet ultima merces.

Modus.



Herculem lætis celebramus hymnis
Ille nam longa ſerie laborum
Inter & tauros fuit & leones
Victor & apros.
Inter & toruæ fera monſtra formæ
Suſtulit palmam pugil,& triſauces
Abſtulit peſtes domitor Draconum
Atq; Gygantum
Vnde non uno celebris triumpho
Nomen & famam meruit perennem.
Fertur & dignus ferat ut ſerenum
Pondus Atlantis.

c

Vincitur grandi ſtygius labore
Haudq; conflictu modico Tyrannus,
Prælio crebro ſuperata tellus
Sydera donat.

Tertius actus.

Preco.

Nach diſputieren zweyer ort
Verherung auch der zeugen wort
Nachfolgen ſoll deciſio
In diſem ſchimpf pro tertio
Vnd entlich ſpruch nach rechtes laut
Wer hab verſchult zal mit der haut
Gerechtikheit vergolten werd
Mit gab vnd preys bequemt ſich ſer
Nun richter wolgeporner art
Von kindtheyt eer vnd zucht gelart
Belon vnd ſtraf wie pillich iſt
Gib vrteyl:ſtell nit weyter friſt.

Preco.

Huc adſunto,quibus petitur ſententia ferri
Intentiq; omnes(prætor iubet)ora tenete.

Iudex.

Fronte quidem prima cunctari ab iudice mos eſt
Ocius & ſolui quenq̄, plecti ue,nefas eſt
Nec niſi perſpectis danda eſt ſententia rebus,

Ipseq; iamdudum(quoniam non immemor albi
Sæpius hybleo cocti sub melle ueneni
Inuentiq; boni callente sub arbore sorbi,
Sæpeq; non sontem pœnam pro sonte tulisse)
Consulto, uerumq; mora, iustumq; requiro,
Et fuit interea defensio partibus æqua,
Nunc ultro, citroq; probæ scrutamine libræ
Pensis litigiis, præponderat optima pallas,
Illa igitur iusta potiatur munere palmæ,
Accipe uirgo tuæ meritum uirtutis honorem.

Pallas.

Me fuerit uicisse satis iustissime iudex.
Fata tibi, generiq; tuo dant Carole palmam
Principis eximii generosa propago Philippi,
Hanc igitur frondem tibi nunc Tritonia reddit
Virtutis monimenta, tuisq; nepotibus optat.

Iudex.

Alciden factis celebrē præstantibus, apto
Accumulare decet gestis pro rebus honore,
Abstulit ille malos quando uirtutis amore
Cœlo sub toto, cœlum uirtutibus esto,
Herculeis igitur scapulis imponimus orbem.

Hercules.

Virtuti si Carole mi debetur olympus
At debetur ei, te nunc dignamur eodem,
Quandoquidem fulges Atauis pietate serenis.

c ii

Atq; illo quo non aliud nunc maius in orbe est
Ostriacus pater est illi, Lusitanaq; mater
Solis utramq; domum tenet ergo,agitatq; sub imis
Hesperiam plantis,Boream caput exerit usq;
Et late immanes aquila uictrice tyrannos
Prosternit Cæsar Maxæmilianus , ab omni
Parte uigil,Martem collato marteq; frangit
Te decet hoc igitur Iuuenum clarissime donum
Vtpote qui Sortis maiorum duceris heres,
Suscipe lucentem stellis ardentibus axem
Prælustresq; puer mores imitare parentum.

Judex.

Suscipio tanto redeuntia dona fauore
Herculis Armisonæq; deæ,stat quantus uterq;
Ambo Iouis Soboles & rebus & artibus ingens,
Nunc superest ut colluuies me uindice pœnam
Spurca luat iustam,frugi neq; prouocet ultra,
Heus uentosa Venus leuior fuligine nigra
Vanior & stipulis baratri fornacibus apta
Tuq; puerq; tuus citius properate sub umbras
Ardentes umbras Erebi noctemq; perennem,
Tolle Satan ambos,ut fletu gaudia mutent.

Satan.

Huc huc uerte pedes ubi flammea turba procorum
Vos manet,Infernæ mensas ornate sorores
Sulphureis dapibus , uenit ad uos gloria mundi
Ne nostras trepidate domos materq; puerq;,

Turpia laudastis,dabimus turpissima uobis.

Venus.

Nos puer o miseros,o nos defende sagittis,
Sæpe quibus mauors & cessit Iuppiter ipse.

Cupido.

Iudice languemus sub frugi, languet & arcus
O mater,parci rident mea spicula uentres
Et rapimur diti,quoniam seruiuimus illi.

Cacus ex inferno.

Parue puer,grandis nequam,pharetrate Cupido,
Et scelerum non parua parens Venus,Ecce uenitis
Hospitibus luxu notis ereboq; poloq;
Istuc adductis inferni plaudite manes,
Ite,picem flammis miscete,epulásq; parate
O furiæ,Stygis & Bromium bibat hóspes uterq;
Ditis & in thalamo recubet Venus atq; Cupido.

Iudex.

Nec Veneris præco, mores Epicurus inertes
Atq; gulam tradens reliquasq; libidinis artes
Hinc eat impunis,uiciorum sterne Magistrum
Vmbrarum consors Cace nunc,unusq; Satanum,
Sterne pecus,ferulis & pingues excute clunes
Ad musæ numerum,chorus & respondeat ipsum
Tuq; Satan socio non impiger esto minister.

Cacus.

Sternere pingue pecus, fustes & suscipe pingues,
Venter ut est, molles facient tibi uerbera costas,
Ad musas plagæ resonent, uos reddite musas,
Alternisq; seni fatuo pæana canamus.

Epicurus.

Oenophili cuncti, quibus & placet uncta culina
Huc sartaginibus nigris, uerubusq; colurnis
Este, Lebetibus & curuis, patinisq;, cadisq;
Me nunc & miserum rabulam defendite uestrum.

Satan.

Non discet pater iste bonum nisi uapulet, ergo
Quod negat ore, sciat plagis in podice uerum.

Cacus.

Optasti capsam uentrisq; orisq; patentem
Ollas ut possis, totamq; uorare popinam
O tibi maiores tumido sint tergore clunes
Nam placet in plœnas nobis crepitatio folles.

Modus.

Dis.

Alt9

Téor

Bass9

Prauitas atro similis ueneno
Mentibus rectis inimica pestis
Proforet nobis nihil, esset & si
Nulla Gehenna.

Cacus.

Durius immundo flagrum debetur asello
Et cano plagæ puero medicina putantur.

Modus.

Est deus magni dominator orbis
Omnium prudens operum repensor
Ille mercedem tribuit merenti
Astra uel orcum

Cacus.

Fustibus & contis ægro medicabimur isti,
Oscitat & stertit, pinguesq; & ructuat offas.

Modus.

Est sibi uirtus quia munus ipsi
Et quidem fœlix, igitur colenda
Hæc foret cunctis, Deus esset & si
Nullus in orbe.

Cacus.

Cui lardum prurit frictu sanabitur isto
Nam tenuat pellem, Venerisq; incendia tollit.

Modus.

Quisquis ad sedes igitur beatas
Pergis, abs te sit procul omne crimen
Sit comes uirtus tibi, Grata diuis
Chare uiator.

Ad Spectatores.

Quicunq; lætis hæc ludicra frontibus
Spectastis, atq; hanc Caroli sententiam
Viri comes & admodum obseruabiles,
Quæ circo in isto lusimus poetice
Fata benigno, diis & annuentibus
Beata sors uobis, comesq; sospitas
Mens & serena conferantur cœlitus
Tenorq; uitæ longior quam Nestori.

Ad Serenissimam Hungarorum
Reginam designatam peroratio.

Aedita Principibus uirgo pulcherrima summis
Regali seruata toro, seruata thronoq;
Musas quæ latias uitæq; exempla pudicæ
Aeui flore nouo teneris & diligis annis
Quæ tibi pieridum lusit studiosa iuuentus
Te rogat, accipias placido spectacula uultu
Sic tibi seruetur pilios Ludouicus in annos
Pannoniæ rex, ingenua puer indole pollens
Sic properet tibi iusta dies & nubilis ætas
Atq; diu placidæ stent sortis munera utriq;.

Ad Reuerendissimum Dominum
Matt.Tit.S.Ang.Diac.Card. peroratio.

Ingenui cultor studii clarissime princeps
Imperii pars magna sacri, Romæq; senator
Germanasq; Italasq; ingens Mathæe per oras
Factis egregiis. Patris & legate supremi
Virtus clara cui titulos dedit atq; tiaras.
Insignes, & sorte frui Maxæmiliani
Principis in toto quantum sol aspicit orbe
Inter & illustres magna arte negocia reges
Consilio tractare bono, uotisq; potiri
Hæc tibi Calliope nunc pubes dedita lusit

Qz cum omnibus litteraꝝ studijs
tum præcipue mansuetioribus Phœbi sidus
præsideat Ioanni Chilimaro artium lib.
Magistro Ludi huius moderato
ri Benedictus Chelidonius.

Prodit ab ætherno sapientia prima parente
Rerum prima dies, astra deosq; regens.
Illius est cœli clarissima lampas imago
Mentes instituens Delius ingenuas.
Sors ea nanq; illi, duplicem mortalibus ignem
Naturæ & duplicis, indere uisceribus.
Quo sensus fouet atq; iuuat, penitisq; medullis
Viuificum inspirat lumen & ingeniis,
Cuius dulce decus quem non capit, esto profanus
Et procul a Phœbi suaue canente choro.
Secteturq; rudem uulgum, crasseq; Mineruæ
Seruiat & tenebras incolat, atq; lutum.
Phœbus porro suos diuinis artibus ornat,
Indignissimus est artibus omnis iners.
Phœbus lucifluus terrasq; polosq; peragrans
Omnia collustrat, cæcaq; sola fugit,
Luce uel immensa cæcum est penetrabile nullum,
Nec doctum capiunt pectora cæca iubar.
Cum rerum uarias diuerso munere formas
Naturæq; modos differat omnigenos.
Sunt animi uaria pro conditione diserti
Quisq; suum radium solis ab orbe trahens
Ille polo spacians terras metitur & undas,
Orando hic causas, iste medendo ualet.
Sunt qui diuorum trutinantes numina & æuum,
Rerum principiis anxius inuigilant.
Pars eadem numeris fœliciter omnia callet
Phœbi præcipuis dedita deliciis
Quos tamen inuidiæ non fœlix lingua lacessit
Lingua quidem stygio non aliena cani.
At satis auricomi fuerit tutela patroni
Sibilet (esto) Draco, ridet Apollo tamen.

Libera mens ſtudiis eſt liberioribus apta
Excultæ & Sophiæ dogmata ſola colit.
Talis iampridem docto tibi ſedula pubes
Hæret Ioannes, indolis aucta lucro
Subq; tuo ductu gemino decorata nitore
Artibus & pollet moribus ingenuis.
Vnde tibi grates debet Chilimare paternas
Præceptor quando ſunt genitorq; pares.

Egerunt.

Nicolaus comes iunior: de Salm
BARONES.
Longinus de puecham.
Veickhardus de Puecham.
Venceſlaus huguitz ex biskupitz.
Adam de Lomnitz.
Georgius de Zintzendorf.
Anthonius de hehenfeld.
NOBILES.
Ioannes Deitenhofer.
Romanus Geyr.
Sigiſmundus ſtraus. Et
Sebaſtianus Niderl ex Olmuntz.
Leopoldus hohenwarter Vieñ.
Ioannes Milecker.
Georgius Klaindienſtl.
Ioannes neumiller.
Decimo Cal. Martias. 1515.

Impreſſum Viennæ Pannoniæ per Ioannem
Singrenium Expenſis uero Leonardi

